Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LXXIX. Piæ Eremitarvm Cantiones.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

CAP. LXXIX.

PIÆ EREMITARVM CANtiones.

§. SAnctus Chryſoſt. hom. 56. in Matth. recenſet cantum monachorum eremum habitantium, qui ad noſtram etiam inſtitutionem commemorabilis eſt. Agit & de iiſdem *hom. 59. ad Antioehenos. Omnes,* inquit, *ſtatim cum reuerentia ſomnum deponentes exurgunt excitante eos prælato, & conſiſtunt ſanctum conſtituentes chorum, & ſtatim manus extendentes, ſacros hymnos decantant.* Iterum. *Mox ſtatim ſurgentes ſtant hymnos cantantes Propheticos multa cum conſonantia, cum aptè compoſitis concentibus. At & ipſa cantica commoda & in Deum caritate plena. Quoniam & cum Angelis cantant: nam & Angeli canunt: Laudate Dominum de cœlis. Cum rurſum matutinas orationes celebrauerunt, & hymnos, ad lectionem Scripturarum conuertuntur. Tertiam, ſextam, nonam, & veſpertinas orationes celebrant. Et in quatuor partes dicere diſpartiti, dum ſingulæ partes implentur, pſalmodiis & hymnis Deum venerantur. Veſpere facto ſe laborib. abſoluentes menſam petunt, & hi quidem cum pane ſalem, hi verò & oleũ adiungentes, & alii quicunq; ſunt infirmiores, olera quoq; habent & legumena. Deinde parum ſedentes, vel potius hymnis omnia concludentes, in ſuo quiſq; lectulo requieſcunt, ad ſolum ſomnum non delitias comparato. Omnia ſunt oratione plena, hymnis omnia, omnia ſpiritali fragrantia. Vox exultationis in tabernaculis iuſtorum Pſalm. 117. Morientes neſciunt mortem: hymnis defunctos perſequuntur, honorem hoc appellant non funus.*

Mox à quiete decantati Pſalmi.

Cum Angelis canimus.

Canonicarũ Horarum enumeratio.

Zenone crudis duntaxat veſcente temperantiores.